

Johann Bacmeister Friedrich Tieffenbach

Disputatio Medica Inauguralis De Apoplexia

Rostochii: Kilius, 1671

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730122964>


Druck Freier  Zugang



R U. med. 1671.

Johann Baermeister, Preis.

Friedrich Tieffenbuck, Resp.



TIO MEDICA INAUGURALIS

De

DOPLEXIA.

Quam

o adspirante Archiatro,
secreto & Autoritate
idiffimi Senatus Medici

Rostochiensis,

PRÆSIDE

ssimo, Excellentissimo atq; Experientissimo

HANNE BACMEI-

Medicinæ Doctore & Profes-
geratissimo, Facultatis suæ Se-
ssimo, & h. t. Decano spectatissimo,
ore, Patrono & Promotore æratem
suspiciendo,

O LICENTIA

te Medicâ Honores, Insignia ac Pri-
toralia more Majorum legitimè
capessendi

examini ac censura publica submitte

ERICUS Tieffenbach/

Ruppinensis Marchita.


In Auditorio Majori

ris ante- & pomeridianis.

Februar. ANNO M. DC. LXXI.

ois JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.

51.



D
S
R
S
R

~~XXXIII~~

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

De

APOPLEXIA.

Quam

Summo adspirante Archiatro,
Decreto & Autoritate
Splendidissimi Senatus Medici

Rostochiensis,
PRÆSIDE

VIRO Pra-Nobilissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo

DN. JOHANNES BACMEI-
STERO, Medicinæ Doctore & Profes-
sore P. famigeratissimo, Facultatis suæ Se-
niore gravissimo, & h. t. Decano spectatissimo,
Dno, Præceptore, Patrono & Promotore ætatem
suspiciendo,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medicâ Honores, Insignia ac Pri-
vilegia Doctoralia more Majorum legitime
capessendi

Philatorum examini ac censura publica submitte

FRIDERICUS *Steffenbach* /

Neo-Ruppinensis Marchita.

In Auditorio Majori

Horis ante- & pomeridianis.

ad d. IX. Februar. ANNO M. DC. LXXI.

51.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.

DISPUTATIO MEDICA INARTICULIS

APPOPIETIA

Summa doctrinae

De re & ratione

Splendidiſſimi

Tituli

et

causae

DR. JOHANNES



STRO, MEDICUS

JOSE P. LANGSTADT

NIOR GAVILANUS

UNO PRAECEPTO IN ANATOMIA

PRO LICENTIA

SUMMARIO SIVE REPERTORIO

PHYSICAE DOCTRINAE

OPUS

FRIDERICUS

NEO-PHYLOGOSOPHUS

INSTRUMENTUM

HOLMIAE - AMSTELÆDAMI

MDCCCLXXXV

ANNO DOMINI

I. N. I. A.

§. 1.

APOPLEXIÆ vox originem suam debet Græcis, qui deducunt ἀπὸ τῆ ἀποπλήσειν, quod est ferire, graviter percutere, unde ἀπίπληξιον illum dixerunt, qui ita graviter ac fortiter percussus est, ac si quis subitaneo fulminis ictu penitus conciderit: Exinde Germanicè vertitur *der Schlag*. Hippocrates eam sæpius vocat ἀφωνίαν, & illâ prehenfos ἀφώνεις appellat, idq; καθ' ἐξοχήν, quia si affecti subito obmutescunt. Id quod Galenus comm. V. I. aph. §. VI. aph. §. VII. aph. §. 8. notat, inqviens, Hippocratem per ἀφωνίαν non solum vocis priuationem, sed etiam Κάρον & Αποπληξίαν indigitare. Dicitur quoque Affulguratio, Sideratio, tum ob datam superius rationem, tum etiam, quod veteres fulmen Sidus esse, morbumq; hunc velut à peculiari quodam Sidere astrali, ceu fulmine à sideribus orto, immitti arbitrabantur. Hipp. Coac. 89. & Glandul. IX. 7. Latini vocant Morbum attonitum, quod sc. taliter affectis & corpus & mens stupeat, vel, quod vivant quidem, sed ita, ut quasi ecstasin passi, nec sensu, nec motione vitæ notas præ se ferant. Idem & Medicorum Cicero Celsus confirmat l. 3. c. 26. 27. Nominatur etiam universalis παράλυσις, quare Germani nostrates inqviunt: *Es ist eine Krankheit / Ob welcher alle Glieder erstarren*. Paracels. l. 7. Paragraph. c. 1. & l. d. vit. long. II. c. 2. vocat Guttam, quod quidam expresserunt *den Tropffen* / à vulgari plebis persuasione, qui putant, res in Cerebro guttulas pendere, quarum si dextra cadat dextri, si sinistra sinistri lateris paralytin; si vero mediâ, Apoplexiam oriri.

A 2

sta-

statuunt. Unde etiam dicitur *der gähende Todt / das rühren*
der Hand Gottes. Sumitur hæc vox 1. *generaliter* pro omni
Apoplexiæ genere, s. sit *παράλυσις* s. *παραληξία* s. *ἀππληξία*
Cels. l. 3. c. 27. 2. *Specialiter* pro certæ partis *παραλύσει*. VII.
aph. 40. Coac. III. 317. 3. *Specialissimè* verò ac propriè pro
ipso Cerebri morbo, per quem sensus ac motus totius corporis
tollitur: Et hæc est vera Apoplexia, de quâ nunc labor
meus in Nomine JESU erit sollicitus.

§. 2. Definitor APOPLEXIA, Mentis consternatio
cum Sensuum externorum & motus abolitione, respiratio-
ne solâ difficili remanente, ob denegatum Spirituum ani-
malium influxum. Possent hic variæ annotari quæstiones,
Cur nimirum cæteris membris stupentibus respiratio eaque
difficilis supersit? Et Cur motus hic Thoracis nonnunquam
sensibilis, cæterorum membrorum corporis minus sensibi-
lis existat? Verum cum nimis proluxa foret hæc demon-
stratio, & partim fufius ab ipso Galeno comm. II. aph. 42.
partim ab aliis Authoribus practicis, præprimis D. Rolincio
P. P. Ienenfi celeberrimo in Meth. curand. Affect. partic.
Capit. est enucleata, meritò hæc superfedemus.

§. 3. Pars affecta est Cerebrum cum suis Vasis. Hippocr. d.
Glandul. IX. Gal. 3, loc. aff. c. 10. Multi quidem alias Partes
principaliter affectas esse contendunt: Harveus namque Exer-
cit. anat. II. d. circulat. COR eligit: Paracelsus l. 7. c. d. gutt.

§. 4. non tantum COR, verum etiam Pulmones & aëreos
meatus pro loco affecto agnoscit. Helmontius tr. d. sed. A
anima ad morbos n. 11. & 12. sedere in Archeo officii
Stomachi & præcordiorum statuit, quod & T. 2. d. Lithias,
c. 9. t. 70. repetit. Alii, & quidem inter Anatomicos pro
parte affectâ agnoscunt, Meninges Cerebri; alii corpus cal-
losum; alii tertium; alii quartum Cerebri ventriculum; alii
solam Spinalem medullam; alii Cerebellum; alii alias corpo-
ris

ris partes: Verum nobis arridet sententia antea laudata, quam etiam cum D. Rolincio *Wepferus tr. de sede Apopl.* amplectatur: Idem etiam cum nobis fateatur Ionstonius in *Medicin. sua Pract.*

§. 4. *Causa hujus affectus immediata & proxima est denegatus Spirituum animalium in Sensuum Motusque organa influxus: Quem quidem aboleri contingit vel culpa diarum, vel culpa Spirituum, si nimirum hi vel deficient vel singulari quâdam vi Narcoticâ torpescant.*

§. 5. *Causæ Mediate proximiores Procatactica sunt; quæcunq; viam Spiritibus animalibus vel plane intercludunt, vel justo angustiorem reddunt, partim obstruendo, partim comprimendo Nervorum principium. Obstruuntur autem vel ab humore pituitoso tum crasso, tum tenui s. seroso, quemadmodum hoc Galenus & Rolincius confirmant. Galenus namque Apoplexiam fieri dicit *Comm. III. aph. 31.* cum cerebrum Pituitâ repletum: Et Rolincius experientiâ edoctus scribit *in dissert. Anat. l. I. c. 13. p. 179.* quod post obitum à pituitosis humoribus supra spinalis Medullæ principium ejusque caudices collectis subortum hoc ferale Symptoma bis observaverit; vel ex *Lymphâ* acriori, uti Deckerus vult; vel ab omni materiâ viscidâ in Cerebro contentâ; vel secundum Platerum *in Prax. Med. Tom. 1. l. 1. c. 2. ex Sanguine*, quando is vel extravasatus e. g. in vulnere Cerebri, in ejus tum substantiam, tum ventriculos, tum basin præprimis & Nervorum principium effunditur, cujus rei testimonium à Fernelio habemus, quando *l. 2. d. abdit. rer. caus. c. 15.* scribit, se in Cadavere Apoplectico Sanguinis extravasati & concreti 2. cochlearia circa Rete mirabile invenisse; vel intra vasa adhuc contentus inflammatorium tumorem excitat v. g. ex consuetâ Hæmorrhagiæ Narium suppressione, adeoque vario modo tum obstruit, tum com-*

A 3

primit

primit Cerebrum ipsumque Spinalis Medullæ Nervorumque principium. *vid. Fabr. Hild. Cent. III. obs. 1.* Helmontius acculat Venenum nescio quod anodynum; Paracelsus *tr. de gutt. 1. 1. p. 527.* aliiq; Chymici à Mercurio peccante Apoplexiam dependere unanimiter fatentur. Qvò etiam collimat Heindr. Scheunemannus *in Med. refert p. 29.* qui itidem hanc rem fulminis exemplo declarat, & causam Mercurii cremosi exhalationibus ad Cerebrum evehis ac conclusis assignat. Cæterum quod Sanguinis circulatio impedita Apoplexiam excitare possit, eleganter probavit Excellentiss. Dn. D. Döbelius, Præceptor meus colendus, in Disput. II. super Meletem; Joh. Anton. Van der Linden sub ipso à me respondendo habitâ: Huic adstipulatur etiam Nobill. Dn. D. Rolfincius *in Diss. anatom. l. 6. c. 50. p. m. 1244.*

§. 6. *Causæ Continentes* s. conjunctæ sunt vel *Cacoehymia* s. ubertas & collectio excrementiorum humorum, præsertim Pituitæ & Serii, tum in toto corpore, tum præprimis in Cerebro; vel *Plethora* h. e. Sanguinis nimia accumulatio: hinc fit, quod vasa Cerebri ita repleantur, ut Spiritibus, meatibus nimis compressis & angustioribus redditis, transitus denegetur.

§. 7. *Causæ Remota* sunt vel Naturales, vel non Naturales, vel præter Naturales.

§. 8. *Naturales* inter Temperamentum frigidum ac humidum primum sibi vendicat locum; deinde Ætas Senilis, licet juvenilis non abeat immunis. *III. aph. 31. VI. aph. 57.*

§. 9. *Non-Naturales* sunt vel Necessariæ vel Non-Necessariæ. *Kyper. l. 2. Institut. c. 6. & 10.* Necessariæ sunt (1) *æer* ambiens caloris aut frigoris excessu peccans, imprimis post incalescentiam subita refrigeratio: *Coac. I. 81.* *æer* item pluviosus, *aquilonius* assiduus imbribus irrigatus. *III. aph. 16. 23.*

Mora

Mora sub radiis Solaribus & Lunaribus; Sic Alex. Benedi-
ctus *l. 1. de curat. morb. c. 33.* testatur, se, dum in Cretà dege-
ret, quosdam qui noctu Lunæ radiis expositi, manè Sidera-
tos fuisse, vidisse. Ita etiam fumus calcis opidò noxius ha-
beretur à multis, quando hic igne carbonum in hypocausto
recens illito elevatus, aëriqve commixtus inspirando attra-
hitur, cujus exemplum refert Valer. Maximus *l. 9. c. 11.* Et
Excell. B. M. Dn. D. Mæbius, P. P. Jenensis de Rectore
Hallensi narrat, quod is cum in Musæo suo calce denuò illito atq;
Hallensi narrat, quod is cum in Musæo suo calce denuò illito atq;
illustrato studiorum fortè & animi gratiâ commoratus esset,
paulò post Apoplexiâ correptus ac mortuus sit. Sic sæpè con-
tingit, ut ingressi cellam musto vel vino repletam fortè for-
tunà in Apoplexiam inciderint (2.) *Cibi* difficilis coctionis
& mali succi: *d. Flat. IX. II. apb. 17.* Medicamenta item
vel narcoticâ vi, vel malignitate aliâ & cerebro Nervisque
inimicâ qualitate prædita: Ingluvies, crapula, *V. apb. 5.*
Vini ejusque præsertim Spiritus Vini immoderatio usque
Notum namq; est exemplum quoddam horrendum de Potat-
ore animosissimo, sed hæc in occasione stupidissimo, qui
plurimis ingestis poculis repetiit rursus haustum salutis, ne-
scio cujus, & hauriendo suffocatus abiit: Hinc & Ovvenus
l. 3. Epigr. ad Carol. Eborac. §. 14. fallè eos perstringit, qui
sic in Principum & Honoratorum salutem bibentes sibi met
ipsis periculosa incommoda adsciscunt.

Est potior potâ sicca salute salus;

Et res absurda est, & talis forma loquendi,

Credere pro alterius posse salute bibi.

Una salus sanis, nullam potare salutem;

Non est in potâ vera salute salus.

Itaque Germanus jure summo hisce helluonibus inurat
hoc proverbium: *Es ertrinken ihrer mehr in Gläsern, als*
in

in Wassern. Ejusdem etiam sunt pretii haustus serotini
die Schlofftrüncke. (3.) *Somni & Vigiliarum excessus*
II. apb. 3. (4.) *Motus corporis violentiores: IV. apb. 14.*
Vita otiosa & sedentaria. II. d. Diat. XXXVII. B. 14. (5.) *Ex-*
ercitio superflua & retentio diuturna. (6.) *Veneris usus nimis*
us, qvale exemplum obseruarunt Platerus & Heinr. ab Heer
in obs. rar. in quodam Nobili, qui inter amplexus uxoris A-
poplexiâ correptus in uxoris sinu, ipsâ non animadvertente
perit dulci morte. (7.) *Animi pathemata s. intensissimi affe-*
ctuse. g. Ira, mæror, Tristitia, Terror: quid enim illa detrimenti
corpori inferant, omnes norunt. Notæ enim sunt historia-
corum, qui ex nimio gaudio Apoplexiâ correpti vitam ami-
serunt. Et Petrus Forestus l. X. obs. 70. p. 430. Mul-
tos, inquit, conspeximus tam Viros quam mulieres ex ira
vehementiori & animi percussione in Apoplexiam incurris-
se. Qui plura hâc de re scire desiderat, evolvat modò ma-
gnorum Medicorum observationes, Hildan. Cent. VI.
obs. IX.

§. 10. *Non-Necessaria* s. contingentes fiunt vel per For-
tunam, vel per Casum, uti hoc ipsum Fabr. Hildan. c. 1. de
Sene 50. annorum notavit, qui ex colapho impacto Apo-
plexiâ obiit; vel per infortunium. Huic accensendæ sunt
exterius corpori ac capiti præsertim oblatae injuriæ ex per-
cussionibus, vulnerum inflictionibus, Lapsu ex sublimi, aut
contusione. vid. Hildan. & Zacutus.

§. 11. Tandem succedunt Causæ *Præter-Naturales*. Ec-
sunt intemperies Cerebri frigida ac humida, Læsiones capitis ab
extra, Morbi melancholici, *VI. apb. 56.* Dolor capitis &
vertigo diutius affligentes, Tinnitus aurium diutius durans,
& hujus generis alia. Sic D. Mæbius, B. M. *institut. p. m.*
256. testatur, se à scabie retropulsâ hunc affectum in con-
sistens ætatis Viro conspexisse: Idem quoque affirmat Za-
cutus

cutus *l. 1. Prax. bist. f. 243.* Et prolixus hâc in parte satis est doctus. Platerus in *Prax. Med. Tom. 1. l. 1. c. 2.* qui consuli poterit.

§. 12. *Differentia* Apoplexiæ sunt variæ. Hippocrates quippè *ll. aph. 42.* Fortem & Debilem proponit. Fortis autem rursus suos admittit gradus, uti Galenus in *comm. ad b. aph.* statuit. Et hoc verum esse docent Practici, quando ex læsione respirationis de periculi aut ipsius Apoplexiæ magnitudine iudicandum volunt. *Galen. 3. loc. aff. c. 7.* Hinc. 1. ratione *Generis IV.* numerantur species: *a. Levis* s. *Debilis*, quando cessante quidem sensu ac motu, respiratio tamen quodammodo libera est, & ordinem aliquem servat, desinitque ferè in Hemiplegiam, s. Paralytin alterius lateris. *β. Vehemens*, in quâ respiratio neq; intenta, neq; violenta nimis, inæqualis tamen ac intermittens est. *γ. Fortis*, in quâ respiratio quidem adest, sed ægrotus difficulter magnoq; cum conatu respirat, stertit & spumam ex ore emittit. *δ. Fortissima*, in quâ licet respiratio ad sensum planè deficiat, ægerq; cadaveris instar jaceat, tamen actu primo superest respirandi facultas, singularibus saltem indiciis exploranda, an Vita supersit. Hinc Franciscus Joël Practicus suo tempore felicissimus. *l. 1. Prax. S. 3.* Candelam aliquam accensam fenestris clausis esse naribus applicandam, jubet, ex cujus motu dignosci posse arbitratur, Vitam adhuc superesse. Alii Speculum nitidum ori Apoplectici admovent, quod si maculam ex halitu ejus contraxerit, Vitam adhuc superesse, censendum est. Exinde etiam Medici cautiore interdicunt, ne ante triduum aut præterlapsis horis 72. (in quibus omnium humorum circulatio peragi debeat, ut multi conspirant) Apoplectici aut suffocati terræ mandentur. Exempla abundè suppeditant *Forest. l. X. obs. 79.* *Zacutus l. 1. bist. 34.* *Schenckius obs. 150.* & alii. 2. ratione *Subjecti*; alia est per *Essentiam*, alia per *Consensum* talis; alia est totius *Corporis*, alia alterutrius lateris, alia unius partis. 3. ratione *Causarum*, alia est ab interna, alia ab externa,

B

v. g. à

v. g. à capitis contusione, alapâ & similibus. 4. ratione *Humorum*, alia dicitur Sanguinea, alia Pituitosa, alia Serosa. 5. ratione *Ortus*, alia existit primigenia, alia recidiva.

§. 13. *Signa Apoplexiæ Diagnostica* quod spectat: Alia quidem *imminentis* præsagium exhibent; alia jam *presentis* indicium præbent.

§. 14. *Signa Imminentis Diagnostica* licet quandoque nulla sint, tamen hi potissimum proni sunt ad hoc malum, qui vehementes Capitis dolores & Vertigines sentiunt. *VI. apb. 51. II. d. Morb. VIII. III. d. Morb. III.* & quibus extremæ partes perpetuò frigore rigent, quique inter dormiendum dentibus strident.

§. 15. *Signa Presentis Diagnostica* sese sistunt manifestissima: Homo scilicet ante Sanus plerumq; subito, interdum sensim concidit, cum Sensus & Motus ablatione, nunc imminutâ, nunc totali, solâ respiratione difficili remanente. Dormit profundè, imò stertit & spumam ex ore emittit. *II. apb. 43. VI. apb. 51.* Membra laxa elevata concidunt suo pondere instar mortuorum: Oculi suspensi sunt vel clausi, Pulsus sæpius plenus & fortis est, quod multos Practicos, ut ipsi fatentur, decepit.

§. 16. Distinguitur Apoplexia ab aliis quodammodo affinis affectibus e. g. à *Caro*, quia in hoc respiratio libera est; à *Lethargo*, quia est sine febre & excitatione; à *Syncope*, quia hic Pulsus fermè est abolitus & facies fit pallida; ab *Epilepsia*, quia nulla hic convulsio; ab *Ecstasi*, quia hâc correpti & excitati mirra loquuntur; à *Paralyse*, quia hæc solum partem corporis occupat; à *Catalepsi*, quia hi in eodem situ, in quo deprehenduntur, rigidi permanent; denique à *Catarrho* suffocativo, quia hic sensus omnes salvos reservat, detentâ tantummodò respiratione.

§. 17. *Prognostica* quod attinet: Apoplexiam inter exitiales morbos primum obtinere locum, tam Hippocrates quam

quàm Galenus non solum testantur, verum etiam Apoplexi-
am fortem solvi impossibile, debilem verò haut facile iudicant.
II. apb. 42. Gal comm. ad b. apb. & M. M. IX. c. 10. Non omnis ta-
men Apoplexia incurabilis existimanda; Galenus enim debi-
lem, licet non facilis solutionis sit, auxiliis tamen in tempore
adhibitis, curari posse affirmat. Solvitur sæpius, motu scilicet
Critico, in paralyin vel unius lateris, vel unius alteriusvè
membri, Cerebriq; debilitatem utpl. post se relinquit: Solvitur
etiam per Salivationem, Lymphâ nempe crassiore sic purgatâ
excretâq; vi Naturâ, uti in Notis Deckeri ad Praxin Barbettia-
nam legendum, qui per excitatam salivationem ipsam Apo-
plexiâ curatam vidit, nullâ remanente paralyi, ast pro tem-
pore tantum partium stupor quisspiam mansit, qui postmo-
dum Vino aliquo medicato curatus. Qui plura desiderat Pro-
gnostica, conferat Hippocratem in Coac. III. 318. ad 322. II. apb. 34.
I. Prædict. XXII. 16. II. Prædict. XXIII. 9. & Celsum l. 3. c. 26. 27. In
genere, prout respirationis noxa vehementior, eò Morbus
gravior magisque periculosus habetur.

§. 18. Quibus ita præsuppositis, de curandi ratione in
genere nunc agendum erit: *Curatio* autem duplex est: In Paro-
xysmo, & Extra eum. In Paroxysmo functiones abolitæ aut su-
spensæ potiùs revocandæ, causæ recensitæ tollendæ, Spiritus
ipsi refocillandi: Extra Paroxysmum, quod reliquum est no-
xii corrigendum, causæ ulteriùs expellendæ, Cerebrumq; cum
suis Vasis ac Spiritus remediis veris corroborandi.

§. 19. *Materia* Præsidiorum, quæ hisce indicationibus
satisfaciunt, commodè seligendæ ex ordinariis fontibus, Chi-
rurgico nempe, Pharmaceutico & Diætetico. Ante omnia
Medicus advocatus, priusquàm ex prædictis fontibus aliud
quiddam adhibere conatur, procurare debet, ut ægrotus tem-
perato loco pariter ac justo situ collocetur: Situs enim non
omninò supinus neque planè extensus sit, sed aliquâ ex parte
sedens

sedens locetur, erectâ quoad fieri potest cervice; Locus si forte non naturâ temperatus, arte conciliandus, de quo §. 25.

§. 20. Quod ergo fontem *Chirurgicum* attinet, sæpius repetita, moderatâ tamen totius corporis concussionibus, item Frictiones & Ligaturæ dolorificæ, ut & Pilorum vellicationes conducunt. Venæ sectio quidem nobilissimum in Morbis profligandis auxilium, sed an in Apoplectico conducibile, nec ne, probè consultandum? Nam non omni tempore omnibus utilicer. Hinc videndum, an Morbus hic dependeat à Sanguine vel materiâ Sanguini confusâ, & an Vires & Ætas adhuc V. S. sustinere possint: Item Alvus an non sit adstricta? Si hæc præmonita consensus præbeant, tunc V. S. manet suo tempore instituta summum sublevamentum, hoc tamen observato, quod debeat institui variis in locis, prout Indicationes postulant. Quamvis enim Neoterici nullum delectum Venarum agnoscant, modicè tamen & repetitis vicibus, quæcunque etiam horâ vocatus sit Medicus, noctu vel interdum instituat, quaritur enim tantum commotio & obstructionis solutio, priusquam Sanguis concresecat Spirituum vigore orbatus, ita ut rectè dixerit Deckerus: Non instituitur V. S. curandi ipsam Apoplexiam, sed Sanguini immoto & stagnanti motum conciliandi gratiâ. Quando verò ob Spirituum defectum V. S. administrari commodè non potest, maximum etiam emolumentum promittunt Cucurbitulæ inter revellentia sine scarificatione applicatæ partibus quibuscunque usitatis; *v. Zaccutus. hist. 33. obs. 31.* Alii tamen Scarificationes admittunt, & accedunt quoque ad Hirudines: Cauteria denique actualia in Nuchâ & Vertice adhibita, Setacea item & Vesicatoria suo non carent fructu, ut fusius contestantur Practici.

§. 21. Quod ad *Pharmaceuticum*: Ingens quidem seculo nobis offert remediorum numerus, verum cum Practicorum libri ad Nauseam usq; iisdem sint referti, nec nostri instituti

remedia singulis causis congruentia recensere, ne Thesium
libites transiliamus, placet saltem unius atq; alterius fecisse
mentionem, & quidem cum in hoc affectu usus Clysterum val-
de sit necessarius, sequens parari poterit Clyisma, quod

Recip. Spec. pro clyster. unc. ij. Herb. Rut. Salv. ana. Manip. s.
Flor. Lil. convall. Pæon. ana. P. ij. Sem. Carv. anis. ana.
Drachm. iij. Summit. Aneth. P. ij. Concis. & contus.
coqv. in Aqu. comm. q. s. ad reman. libr. r. & sem. Colent.
in Colat. dissolv. Elect. diaphœnic. unc. j. ol. chamæmel.
unc. j & sem. Sal. gemm. Drachm. j. M. F. l. a. Clyisma
tepidè applicandum.

Quod si præter morem nimis diu detineatur, ad Suppositoria
recurrendum, parata ex Spec. Hier. agaric. Ellebor. Sale
gemmæ & Melle; hoc tantum observato, quod & hæc in
Apoplexiâ duplo ferè acriora esse debeant, quàm in aliis non
soporiferis Morbis.

§. 22. Vomitoria à quibusdam maximè laudantur, sta-
tuuntque si affectus à Pituitâ oriatur, materiam spermatis ra-
narum instar in corpore hæsitantem Emeticis evacuari, totum
corpus tam per medicamenti vim quàm per motum fortem,
quem excitant, calefieri atq; instigari, Spiritus sublatâ materiâ
refocillari. Unde etiam Crocum Metallorum & inde paratam
Aquam Benedict. Vitr. item Antimonii, nec non Mercurium.
Vitæ felicis cum successu adhiberi posse putant; Quidam verò
prorsus Emeticorum usum rejiciunt & quidem in Paroxysmo,
ut Sennertus *l. 1. Prax. Part. 11. c. 33. quest. 6. p. 711.* & Forestus *l. X.*
obs. 75. Quibus tamen Lazarus Riverius *Prax. suæ l. 1. c. 2. p. m. 14.*
non subscribit, ipsaque ratio & experientia interdum Vomito-
ria exhibenda esse suadent, eâ tamen adhibitâ cautelâ, quam
W. Hæferus in suo Hercule Medico notavit, quando; Cave,
B 3 inquit,

inquit, à Vomitoriis, nisi æger statim à cibo fuerit Apoplecticus factus, & eodem tempore accersitus sis: Variantibus enim conditionibus exigentiæ in subjecto, variat ipsa curatio.

§. 23. *Errbina* ac sternutatoria præprimis quoque hic locum habent, parata ex summit. Majoran. fl. Lil. convall. Sem. Nigell. Nicotian. c. aliquot gt. ol. Succin. vel gr. Moschi Internè possunt quoque Cordialia propinari & Aquæ Apoplecticæ, Elix. Vitæ Matthioli, similesq; Spiritibus refocillandis dicatæ: Externè etiam Tempora, Cordis regio, Corculum, Nucha, Nares & Vertex, abrasis capillis, inungi possunt Bals. Apoplecticis, ex ol. Nucist. Juniper. Rosmar. similibusque paratis, it. ol. Volatilibus v. g. Succini, cinamomi. Capiti Species pro Cucuphâ quoq; imponi possunt.

§. 24. Sublato Paroxysmo ægroq; quodammodo ad se revocato, debilitato Cerebro Medicamentis Cephalicis succurrendum, tum corroborantibus tum humores peccantes emendantibus & præparantibus, qualia possunt esse Syr. Beton. Hyssop. stæchad. Aqu. Rosmar. Salv. Meliss. Essent. fl. lil. convall. Castor. anth. Ex his potest fieri Mistura pro lubitu & necessitate sumenda. Deinde procedendum ad purgandam materiam peccantem, quod præstamus duobus modis. Per alvum & os. Per os, si salva; Per alvum, si salva & læsa deglutitio est. Per alvum purgamus Pillulis, semper additis specificis. e. g. ex Pill. Cochiar. fœtid. Trochisc. d. agar. Magist. Cran. hum. ungu. alc. Cinabar. Antimon. cum Aqv. Majoran. fieri possunt Pillulæ. Per os verò humores à Capite educuntur tutissimè quidem Apophlegmatismis ex Pyrethro, origan. Thym. Zingib. Castor. paratis. Sic è Ventriculo locisque vicinis ex causis citatis per Vomitum felici cum successu evacuatio instituitur vel Aqu. Bened. ex croc. Metallor. paratâ, vel Sale Vitriol. Vomitiv. in Aqu. Raphan. q. s. solut. vel Tinct. Nicotian.

Nicotian. Hisce evacuationibus intermiscenda omninò sunt simulque usurpanda, quæ Cerebrum Nervosumque genus roborant, Spiritibusque grata sunt e. g. Salv. Beron. Lavend. Major. Serpill. Rosmar. Ros. Cardamom. Cubeb. Nuc. Moschat. &c. quorum tum Aquæ, tum Conservæ, tum Ol. ipsæq; eorundem substantiæ, in formâ vel potionis, vel Electuar. vel Pulv. vel Sacculor. feliciter exhibentur & applicantur. Si Curationem ipsam ita Medicus prudens feliciter absolvit, posthæc ipsi minus erit difficile præservandi modum præscribere, ideò nihil de hoc subjuncturimus. Qui plura in Praxi desiderat, potest fusius hæc de re Hartmann, *c. d. Apopl.* ut & ipsum Hippocratem *III. d. Morb. III.* legere.

§. 25. Tandem ad *Dietam* nos' conferimus, quæ pro varietate causarum ac ægrorum variè instituenda venit. Affectus hic cum sit acutissimus & extremus, *Gal. 2. apb. 19.* nec Cibum vel Potum admittat, meritò in ipso Paroxysmo de eisdem exhibitione non laborandum; quando vero Paroxysmus quodammodo remisit, tenuissima Victus ratio præscribenda est. Cibi sint boni succi citoque nutrientes, aromatibus specificisq; cephalicis conditi: Potus Cerevisia tenuis probe defœcata, semper imprægnetur confortantibus: Et quamvis Hippocrates *III. d. Morb. III. 17.* & Celsus *l. 3. c. 26.* jubeant in hoc affectu abstinendum esse à Vino, tamen optimi Vini moderatum potum concedi posse statuimus. In pituitosâ Apoplexiâ Aër calidior & siccior eligatur, sin autè naturâ talis non invenitur, arte introducendus, accensis rebus odoriferis in domo, ut Lauro, junipero, Gummatibus odoriferis similibusq;. In causâ calidâ temperatus erit eligendus aut subfrigidus. In Morbi principio æger ex somno revocandus: Aliàs Somnus sit Modicus, Exercitia, si nonnullis uti valebit, moderata, Frictiones non negligendæ. Alvus quoque
aperta

aperta est servanda; Veneris exercitium prorsus inhibendum.
Ager caveat sibi ab irâ, terrore, & nimia repletione.
Brevibus: In omnibus usum VI. Rerum Non
Naturalium ad normam præscriptam
observet.

Hæc hæc Vice sufficiant: Cætera Naturæ &
DEO committantur, cui sit Laus, Ho-
nor & Gloria in sempiterna
secula !



50
MAGNIFICUM
RECTOREM.

Reverendos, Nobilissimos, Amplissimos,
mos, Excellentissimos, Experientissimos,
Clarissimos, Humanissimos, Doctissimos,

Universitatis & Civitatis

Scriptos Patres, & Literatos Cives,
Medicinæ & Medicorum Fautores, Cultores,
inauguralem Actum Academicum

Publicæ Disputationis

APOPLEXIA,

Quam

Præstantissimus, Ornatissimus & Doctissimus

DERICUS TIEFFENBACHIUS,

Neo-Ruppinenſis Marchicus,

Medicinæ Candidatus,

pro

ARTE MEDICA, LICENTIATI & DOCTO-

Honoribus & Privilegijs ritè conſequendis, DEO

T. MAX. SUMMO ARCHIATRO AUSPICE,

ditorio Majori ad diem IX. Februarii,

habiturus eſt,

Facultatis Medicæ DECANUS

NES BACMEISTERUS, D.

Præctiæ & ſuper. Math. Profeſſ, P.

nec non Collegii Medici Senior,

Quâ decet & debet

Reverentiâ, Obſervantiâ, Humanitate

Publico hoc

PROGRAMMATE

Invitat & Vocat.

Typis JOHANNIS KILII, Univerſ. Typogr. Anno 1671.

1671.

47

aperta est servanda; Veneris exercitium pro
Ager caveat sibi ab irâ, terrore, & nimi
Brevibus: In omnibus usum VI. Re
Naturalium ad normam præscri
observet.

Hæc hæc Vice sufficiant: Cætera
DEO committantur, cui sit La
nor & Gloria in sempitern
secula !



ex omnibus pars Princeps, nulla reliquis dignitate em-
 chia exprimeri debebat partium Corporis ad se invice
 Imperii forma sit perfectissima, sit stabilissima & maxim
 us natura rerum serinio e ducta. Coelestium Corporum
 virtute mirè differentium Rex unicus Sol est, à quo Ste
 um suscipiant Lumen & foventur. Ipsum Terrarum I
 Monarcha felicius longè fore & pacatissimum, & sub
 & conflictuum nomina, nemo forsàn est qui dubitat.
 in Corpore nostro perfecto illo Microcosmo, elucetq;
 chia imago. Paucis dicam quomodo. Cor est Visceru
 Cór est pars Corporis princeps, cui reverentiam debent
 mnes, cui uni acceptum tenentur referre, quicquid ha
 ris ac virtutis, nec comparata in unum omnes sive dig
 sitatem cum Corde certare ullo modo poterunt. Quod
 neget, ipso facto tamen asseruisse patet exiis, quæ supra
 sunt. Sive etiam insuper Cordis motum stupendum, I
 deniq; figuram ipsam atq; substantiam consideres, suffi
 ras Cordis præ reliquis corporis partibus elucet. Ut ja
 ra testimoniis adferam, quæ Anima sedem disertè
 principatu id ipsum confirmat. Angustia quippe pa
 plitudo silentium mihi quasi imponere videntur, refe
 oportuno. Cum autem sub sole HOMINE nihil præst
 ditio, eheu! post lapsum primorum nostrorum Parentur
 Corporis pars, quamvis excellentissima, à Morbis sit i
 lior afficiatur, tanto certius detrimentum corpori con
 est, ut nos totos dedamus considerationi & contempla
 eorum, qui corpore nostrum constituunt; nec aliud sibi vu
 five illud Coelitus delapsum & Templi Delphici foribu
 gora, sive Chilonis simbolum fuerit. Huic certè cura
 bere par esset: Imprimus vero ei insistere debent, qu
 fides Sanitatis & Morborum propulsores salutari cupiu

Hiscè meritò jam ad sociandus Eximius & Literatissi
 TIEFFENBACHIIUS Neo-Ruppinensis Marchicus, Medicin
 Ut enim Honestissimis Parentibus Patre nimirum Viro specta
 TIEFFENBACH, Cive & Mercatore Neo-Ruppinensi Primar
 quot annos è vivis exempto, Matre vero Matronâ decoratissi
 di DN. THOMÆ Wagentgen Pastoris Ronnebecensis vigili
 & ab ineunte ætate Virtuti & Eruditioni se totum consecravi
 tia sub Clarissimis ejusdem tum temporis Collegis Dn. J

im Monar
 o, quod illa
 te & ex ipfi
 , colore ac
 , quod robo
 sive neces
 Medicorum
 bus scripta
 ampla, sive
 inde digni
 ra Scriptu
 atq; sic in
 materiæ am
 ua tempori
 tamen con
 ata, ut nulla
 o principa
 o necessum
 ostra, sive
 θι. σαυτὸν,
 sive Pytha
 nes incum
 ando Præ

ERICUS:
 olentissimus.
 RIBERICO
 nâ ante ali
 A, Reveren
 ognatus; sic
 n Scholâ Pa
 Dn. M. An
 arez

